

tifex, cui
subroga-
tur Luci-
us III.
Baron.
Sigon.

fus Henricum IV Imperatorem schismaticum, per xxii prope annos
columna fuit Ecclesiæ adversus Fridericum Imperatorem & tres ejus
Pseudopontifices à Friderico Imp. obtrusos. Subrogatus Alexandro
Lucius Pontifex, vir ætate ac sapientia gravis.

Annus Christi 1182.

Lucij III. Pont. 1.

Friderici I. Reg. 31. Imper. 28.

Sifridi Ep. Pad. 4.

Godofrid.

Ejecto extra provincias suas Henrico Duce, post sexennij bel-
lum quievit Saxonia & Germania; præclarumque Imperatoris ne-
gotium fuit, pacem in Imperio firmare. Quam in rem per festos Pen-
tecostes dies solemnem Moguntia Principum conventum habuit;
ad quem præter alios convenere Philippus Coloniensis Archiepisco-
pus, Hermannus Monasteriensis, Ulricus Spirensis, Conradus Ab-
bas Fuldenfis, Fridericus Dux Sueviæ, Conradus Comes Palatinus
Rheni, ceterique Episcopi ac Principes, quod in Friderici Imperatoris
diplomate, quo Monasterio S. Maximini in suburbio Trevirensi om-
nia Imperatoria privilegia bonaque hoc anno Moguntia rata habet,
proditum est. Adfuere & Legati Regis Angliæ, pro Henrico Leone
genero atque exule orantes hereditariæ possessionis reditus ad deco-
ram Principis vitam exornandam; & promissi quidem illi, sed exili-
um Principum sententia repetitum.

Zilesius in
diplom. S.
Maximini
Monaster.

Annus Christi 1183.

Lucii III Pont. 2.

Friderici I Reg. 32. Imper. 29.

Sifridi Ep. Pad. 5.

Lucius
Pont. bo-
na & pri-
vilegia
Mona-
sterij
Wilba-
censis
confir-
mat.

Lucius Pontifex eo nomine III, qua erat beneficentia in clerum,
& omnes religiosorum ordines, inter alia hoc anno rogatu Henrici
Mariæ Monasterij apud nos Abbatis, Wilbacensi Coenobio diœcesis
nostræ omnia privilegia ac bona Apostolica auctoritate communita
in hunc modum renovando, bene de nostra Diœcesi mereri studuit.

*Lucius Episcopus Servus servorum Dei, dilecto filio Henrico Abbati et
Sanctimonialibus Monasterij Wilboldessen, tam presentibus quam futuris
monasticam vitam professis in perpetuum. Effectum justa postulantis in-
dulgere, et vigor æquitatis, et ordo exigit rationis, præsertim cum petentium
voluntas et pietas adjuvat, et veritas non relinquit. Eapropter Dilectæ in
Domino filia vestris postulationibus clementer annuimus, et Monasterium
vestrum, in quo divino mancipatæ estis obsequio sub Beati Petri et nostrapro-
tectione suscipimus, et presentis scripti privilegio communitimus. Inprimis
siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum, et beati Bene-
dicti*

dicti